



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. LXVII. Ex duobus cessionariis juris prælationis uter sit præferendus, an scilicet is qui primo usus est concessione sibi factà, an verò qui primus est in data. Quid si conditionem congruo ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

natio ipsi à lege concessio : & de quo in l. fin. Cod. de iure emphyteut. Sed jus prælationis competens ejus cessionario, fundatum est in jure quodam extraordinario, quod est exorbitans à jure communi, ut mox ostendimus. num. 15.

- 19 Secundò supponendum est, quod jus cessionarii non habet vim attractivam, quam habet ipse dominus directus, quia statim facta declaratione per dominum directum, quod vult uti jure retentionis, facilius sequitur consolidatio domini utilis cum directo ex quadam vi magnetica ipsius domini directi, quæ ab ipso inseparabilis est, & ossibus domini directi inheret, adeo ut cessionarius non habeat jus istud attrahendi: ideo sola illius declaratio, quod vult retinere, non ita facile perficit, nec consummat retentionem, & per consequens quidquid sit de ipso domino directo retinente, de quo mox agemus; tamen facilius quoad ejus cessionarium locus est poenitentiae. Hæc differentia notatur per Claper. *causa 100. q. 1. n. 2. 4. & 29.*
- 20 Tertio, supponendum est, magnam esse differentiam inter renunciationem juris prælationis, & acceptationem illius, ad effectum ut sciatur, utrum res sit integra, an non: renuntiatio siquidem sola animi declaratione perficitur, quia statim ubi facta fuit declaratio domini directi, vel ejus cessionarii, quod non vult uti jure retentionis, ipse se excludit ab illo jure, quia post animi declarationem nihil aliud superest agendum. † Sed dum agitur de acceptatione & effectu ratione juris prælationis, non sufficit sola declaratio animi; sed præterea requiritur realis solutio pretii faciendi per eum, qui vult retinere.
- 21 Claper. *dict. causa 100. quest. 1. num. 29. versic. qua reversione*, † ubi dicit reversionem aliquando fieri ab ipso jure sola lege operante, sine aliquo facto vel ministerio hominis; veluti quando emphyteusis revertitur ad dominum propter tempus & generationem finitam; aliquando verò requiritur factum hominis, quod consistit in duobus. Primo, quod dominus declarat se velle retinere. Secundo, quod restituat pretium emptori, quod etiam tradit Solfona in l. cerna laudimiorum, *quest. 3. principali, n. 156.* † ubi dicit dominum directum teneri declarare animum suum super retentione, & interpellare emptorem, & illi offerre pretium rei venditæ; & in casum reculationis debet deponere pretium, & illud consignare, & quod per talem oblationem & interpellationem & depositionem acquiritur jus domino directo, aut ejus cessionario: quod etiam sequitur Ripoll. *var. resol. cap. 7. de iure emphyt. n. 200.*
- 24 Quarto supponendum est, quod licet dominus directus habeat jus incorporandi, & uniendo dominium utile cum directo, quod est jus reale, & à re emphyteutica dependens, prout testatur Claper. *dict. quest. 1.* † Tamen hoc jus non competit eo modo cessionario domini directi, qui non habet rei vendicationem, cum non sit Dominus rei emphyteuticæ; sed tantum habet actionem confessoriam, directam, vel utilem, per quam petit declarari se præferendum esse pro eodem pretio in dicta re: & facta per Iudicem declaratione quod sit locus prælationi, petit officio Iudicis detentorem & turbatorem cogi, & compelli ad restitutionem rei, soluto sibi pretio, ut optime explicat Calkrenf. *conf. 335. num. 5. vol. 1.* † Unde sequitur, non esse verum in jure, quod per solam cessionarii declarationem ipso jure fiat unio domini utilis cum directo; cum ultra declarationem requiratur quod intentetur actio confessoria, & sequatur sententia Iudicis, unà cum restitutione pretii: & sic

antequam hæc omnia fiant, res dicitur integra, & retentio nondum perfecta, & per consequens etiam subsequarà declaratione, licitum est cessionario ab illa recedere. Atque ita in terminis retractus determinat Grimaudet in tract. des retrairs, lib. 2. cap. 33. per totum.

CAPVT LXVII.

Ex duobus cessionariis juris prælationis uter sit præferendus; utrum is qui primo usus est concessione sibi facta, an verò qui primus est in data. Quid si conditionem tempore congruo non adimpleverit: Et utrum gratia primi laudimii & juris prælationis alicui facta, expiret per adventum novi Vicelegati; præferatim si novus Vicelegatus alteri similem concessionem fecerit.

S V M M A R I V M.

- 1 Rescriptum conditionale non adimplet à conditione nullum est.
- 2 Condicio quæ facile adimpleri potest, adimplenda est statim, aliàs habetur pro non impleta.
- 3 Qui obligatur aliquid facere, tenetur id facere quamprimum potest.
- 4 Non adimplens contenta in rescripto intra tempus in eo designatum, non potest postea se invare illo rescripto.
- 5 Dicitur, dummodò, quo casu vim conditionis obtineat.
- 6 Quando concessio facta fuit cum limitatione temporis, qui non observat tempus, non dicitur observare formam.
- 7 Dilatio apposta in rescripto numeratur à die date.
- 8 Omne tempus in dubio continuum esse censetur.
- 9 Qui posterius rescriptum obtinet, non facta mentione primi per adversarium impetrati, excusandus est ex causa probabilis ignorantia.
- 10 Iuris incerti & eventualis, ac nondum perfecti questu, mentio faciendi non est in rescripto.
- 11 Scientia domini cum taciturnitate ipsius infert tacitum consensum præstitum alienationi prædii emphyteutici.
- 12 Concessione duobus facta, si is qui primam obtinuit non curaverit concessionem suam intimari, rectè solvitur laudimium, & capitur investitura à Camera vigore secundæ concessionis, quia directæ actiones remanent penes Cameram.
- 13 Dominus si recipiat laudimia, excluditur cessionarius iuris prælationis, qui cessionem suam non curavit intimari.
- 14 Facta traditione reali per dominum emphyteutæ, ius illi in re questum est adversus cessionarium iuris retractus.
- 15 In iuribus incorporalibus, primus occupans præferatur.
- 16 Dispositio legis quoties duobus, Cod. de rei vendic. locum habet in omnibus contractibus, tam onerosis, quam lucrativis.
- 17 Vicelegatus licet Principem representet, non tamen

men omnia potest qua Princeps.

- 18 Quod factum est tempore inhabili, non potest retrahi, maxime in preiudicium tertii.
- 19 Si non sit certum que concessio, vel alius præcedat, ille præsumitur prior, qui respicit favorem pia causa.
- 20 Condicio potestativa non trahitur retro.
- 21 Gratia conditionalis non solum adimplenda est, sed etiam adimplenda tempore congruo.
- 22 Gratia conditionalis concessio per Vicelegatum, non potest sortiri effectum, nisi conditio fuerit adimpleta durante officio ipsius Vicelegati: nec sufficit adimpleri post adventum alterius Vicelegati.
- 23 Adimplementum non relevat, nisi factum fuerit tempore habili.
- 24 Maior habilitas requiritur in termino ad quem, quam in termino à quo: ille enim debet esse habilis essentialiter, hic vero sufficit quod sit habilis potentialiter.
- 25 In rescripto gratuito attendi debet tempus adimpletæ conditionis: & sic quando conditio fuit adimpleta, finito officio concedentis, perinde est ac si concessa non fuisset.

Tempore cuiusdam Vicelegati, concessum fuit impetranti per rescriptum, jus prælationis, seu retractus ac primi laudimii cuiusdam prædii in rescripto designati, venditi vel vendendi, cum clausula, attentis narratis, & præstita obligatione de solvendo ius laudimii Camera Apostolica, iuxta pretium appositum, vel apponendum in venditione illius prædii.

Post tres annos, novo existente Vicelegato, quoddam monasterium obtinuit ab ipso similem gratiam, in qua etiam fuit condonata dimidia pars laudimii quolibet novennio persolvendi, quia agebatur de manu mortua.

Eodem anno & die, quo fuit ultima ista gratia concessa, primus ille concessionarius præstitit obligationem de solvendo laudimio Cameræ juxta formam sui rescripti.

Cum disputaretur inter istos duos concessionarios, dixi concessionem secundam factam monasterio, sortiri debere effectum, neque monasterium posse molestari ab eo qui primum rescriptum obtinuerat.

- 1 Primò, quia rescriptum quod antè in data reperitur, erat conditionale, per ablativos videlicet absolutos, qui conditionem important, his verbis, *præstita obligatione, &c.* & per consequens non adimpletæ conditione, rescriptum nullum & invalidum remanet. *Decis. 87. n. 19.* † Quod autem conditio non fuerit adimpleta, probatur quia à die primi rescripti lapsus erat triennium, ratione cuius dilationis conditio dicitur defecisse, quia quotiescunque agit de conditione quæ facillè potest adimpleri, qualis est conditio præstandi obligationem; tunc conditio dicitur defecisse, quando statim & incontinenti non fuit adimpleta, *si ita stipulatus essem 14. ff. de verb. obligat. Roland. cons. 62. num. 48. versic. ad secundum, vol. 4. Ruin. consil. 131. num. 11. volum. 1.*

Neque opus erat aliqua interpellatione, quia ubicunque quis tenetur aliquid facere, tenetur illud facere quamprimum fieri potest. *Bellon. in tract. de his que sunt incontinenti, cap. 129. n. 6.*

- 4 Multò magis in alio casu dixi exclusum esse impetrantem à jure retentionis, stante clausula in rescripto appositâ, dummodo intra quindecim dies investituram acceperit, & laudimium solverit; quia cum intra dictam dilationem investituram non accepisset, &

laudimium non solvisset, exclusus erat à beneficio dicti rescripti. † Quamvis enim dictio *Dummodo*, potius modum quam conditionem importare videatur tamen eo modo quo superius expressa fuit, verè conditionem importat, quia adjecta est substantiæ dispositionis, & non executioni. *Seraphin. decis. 1017. n. 4. Verall. part. 2. decis. 35. n. 3. Cavalier. decis. 255. num. 4.* ubi loquitur de illa clausula, *dummodo pacens obtineat.* *Ludovil. decis. 311. num. 12.* ubi loquitur de clausula, *dummodo solutio fiat.* *Rota decis. 1160. num. 2. & 3. part. 3. lib. 3. divers.* ubi dicit verba illa formam substantialem continere. † Et generaliter quotiescunque concessio facta fuit cum limitatione certi temporis, qui non observat tempus, non dicitur formam servare. *Rota decis. 167. num. 8. & 9. part. 2. recent.*

Nec dici poterat, dilationem quindecim dierum intelligendam esse à die adeptæ possessionis: quia imò in rescriptis attenditur tempus datæ, *cap. eam re, de rescript. Guid. Pap. singular. 715.* superflua enim fuisset illa clausula, si intelligeretur de solutione laudimii post adeptam possessionem faciendam. † Et in dubio omne tempus censetur esse continuum. *Costa de facti scient. regul. 14. n. 1.*

Nec etiam est quod dicatur, in secundo rescripto fieri debuisset mentionem primi: Quia responderetur primò, obtinentem secundum rescriptum, excusandum esse propter probabilem ignorantiam; maxime cum primum illud rescriptum non esset registratum, prout in eo fieri mandabatur. *Put. decis. 181. num. 4. lib. 1. in correctis.*

Secundò, quia jus primi impetrantis ante adimpletæ conditionem erat eventuale, & incertum; nec per illum jus erat perfectè quæsitum: ideo illius mentio non erat in secundo rescripto necessaria, ut per Rotam coram Andrea, *decis. 48. n. 3. & segg. & part. 5. recent. decis. 23. n. 15.* Addent. ad Burat. *decis. 576. n. 12.*

Secunda ratio principalis est, quia Illustrissimus Dominus Vicelegatus, dum posterius rescriptum concessit, præstitit consensum venditioni factæ in favorem monasterii, eique gratiam fecit de laudimio, necnon de præstatione singulo novennio faciendæ: & sic venditionem approbando, exclusit omne jus prælationis, ex notatis per Fab. in *Cod. lib. 4. tit. 42. de iure emphyt. definit. 49.* Redoan. de reb. Eccles. non alien. q. 79. cap. 9. n. 24. ubi dicit quod scientia domini cum taciturnitate, infert consensum ipsius præstitum alienationi.

Hinc sequitur, quod licet alteri prius facta fuerit gratia, seu concessio juris prælationis; tamen quia actiones directæ remanebant penes Cameram, prædictusque primus concessionarius nullam fecerat juris sui intimationem seu denunciationem, neque intervenerat unum ex tribus requisitis in *l. i. Cod. de novat. licitum* fuit Cameræ habenti actiones directas, seu dicto Vicelegato per acceptilationem seu gratiam liberare monasterium à solutione partis laudimii, nullâ stante conclusionem: ex traditis per Odd. ad *l. 3. Cod. de novat. q. 3. art. 6. vers. secundo casu.*

Et sic locus est doctrinæ Ferrerii ad Guid. Papæ *decis. 477. in nova addit. vers. sed in hac causa*, ubi dicit, quod si non fuerit facta denunciatio, & dominus receperit laudimia ab emptore, non est amplius locus juri prælationis.

Et præmissa multò magis locum haberent, si secundus iste concessionarius, & idem emphyteuta ante dictam denunciationem adeptus fuisset possessionem dicti prædii: iuxta text. in *l. quoties, Cod. de rei vendit.* quia quando subsequuta est traditio, & concessa

concessa investitura, jus reale quæsitum est possessori, quod tanquam potentius præferri debet actioni competenti primo cessionario, quæ nullum habet fundamentum in jure reali: ut bene ostendit Charrond. lib. 3. respons. 6. ¶ Vbi dicit quod in cessione facta tatis retrahendi, aut alterius juris incorporalis, ¶ Et mos occupans præfertur, quia jura ista incorporalia possidentur insimul cum corporibus, quibus inhaerent: & ideo in illis locis est dispositioni dict. l. 1.

15 quoniam. ¶ Et ita in simili decisum fuisse testatur Papon. lib. 11. tit. 6. arrest. 9. Maynard. lib. 2. cap. 6. ¶ Quia in emphyteuticis ille præferendus est cui prius verè & realiter concessa fuit investitura: nam dispositio dict. l. quoniam, locum habet in omnibus contractibus, tam onerosis, quàm lucrativis. Gom. lib. 2. var. resol. cap. 2. de empt. & vendit. n. 20. in prima ampliat. in princip. 2. colum.

17 Nec obstat si dicatur, dispositionem dict. l. quoniam, non habere locum in concessione facta per Principem. Tum quia hic non agitur de Principe, sed de ejus Vicario, qui ut notorium est, multo minorem habet potestatem. Cum etiam ipse Legatus de latere non possit aliquid concedere contra dispositionem juris communis. Gratian. discept. forens. cap. 245. n. 42. & cap. 300. n. 50. fuse Capiblane. de iure Baron. pragmat. l. 1. n. 32.

Non obstat etiam, si dicatur dictum primum concessionarium satisfecisse conditioni appositæ in dicto rescripto, & in effectu præstitisse obligationem juxta formam dicti rescripti.

18 Quia respondetur id factum fuisse tempore inhabili, neque posse retrahi in præjudicium juris quæsitum monasterio, quia retractio nunquam fit in præjudicium tertii, cui jus est quæsitum. Surd. conf. 382. n. 79. Cost. de retractu. cap. 8. cas. 2. n. 10.

19 ¶ Quia licet obligatio prædicta reperitur facta eadem die, & sub eadem data sub qua concessio secunda fuit facta monasterio; tamen de jure præsumitur quod gratia monasterii sit anterior, propter privilegium personarum, & causæ piæ. Menoch. de arbitr. cas. 48. n. 35.

20 Præterea cum conditio appositæ primo rescripto sit potestativa, non potest prætendi aliqua illius retractio, quæ nunquam fit in conditionibus potestativis, l. qui balneum. ff. qui potior. in pign. hab. Surd. dict. conf. 382. n. 78.

21 Tertia ratio principalis petitur ex eo, quod cum gratia facta per antiquum Vicelegatum esset conditionalis, ut mox ostensum fuit, nempe si præstaretur obligatio de solvendo laudimio, non poterat dici perfecta, nisi prius dicta conditio fuisset adimpleta. Cavalier. decis. 561. per tot. & sic cum dictus Vicelegatus concedens esset extra officium Legationis, ¶

22 gatus concedens esset extra officium Legationis, ¶ non potest quidpiam operari finito officio; cum illo durante effectum sortita non fuisset, ut determinat Rota decis. 628. n. 11. part. 4. recent. tom. 1. ¶ Quia

24 non potest gratia dici sortita effectum, cum implementum conditionis supervenerit tempore inhabili. Rot. decis. 46. n. 6. part. 6. recent. ¶ si quidem requiritur habitas tam in termino à quo, quàm in termino ad quem, imò major requiritur in termino ad quem, quàm in termino à quo, quia licet sufficiat quod terminus à quo sit habitas potentialiter; tamen terminus ad quem debet esse habitas essentialiter. Bartol. & alij in l. si is qui pro emptore, ff. de usupationib. Giovagnon. conf. 98. n. 3. & 24. vol. 1.

25 Præterea cum agatur de rescripto gratuito, in quo inspicitur tempus impletæ conditionis, & sic perinde est ac si prima gratia concessa fuisset tempore præstitæ obligationis: quo tempore concedens non

erat amplius in officio, & per consequens nulliter, ex notatis per Galganet. de condit. & demonstr. part. 2. cap. 1. q. 106. n. 3.

CAPVT LXVIII.

Quæ sit differentia inter administratorem generalem, & particularem, quoad redditionem rationis: Et ex quibus colligatur, utrum administrator sit generalis, vel particularis. Vtrum verum sit, Advocatum cum Cliente contrahere non posse. Confessio ad tollendum scrupulum facta, utrum noceat consentienti. Notarius utrum possit deponere contra instrumentum per ipsum rogatum: Et si in instrumento dicatur quod quis confitetur recepisse in præsentia Notarii, utrum ex eo probetur realis numeratio. Cancellatio instrumenti quid operetur: Et utrum metus amissionis scripturarum sit sufficiens ad obtinendam rescissionem contractus.

SVMMARIVM.

- 1 Administrator particularis tenetur duntaxat reddere rationem de administratis, nec tenetur librum conficere.
- 2 Ratio non dicitur reddita in parte, sed in totum, si reddita fuerit de tota administratione particulari.
- 3 Qui non accessit ad administrationem omnia gesturus, non tenetur nisi de administratis.
- 4 Qui agit contra administratorem particularem, tenetur probare in specie quid per eum fuerit administratum.
- 5 Vtrum quis fuerit generalis administrator, probatur ex lectura mandati.
- 6 Generalis & libera administratio non censetur alieni concessa, nisi id in mandato exprimat in specie.
- 7 Observantia subsequens declarat quenam sit partium intentio circa administrationem.
- 8 Procurator non potest dici generalis, quando principalis gessit, aut alij ejus nomine.
- 9 Advocatus potest contrahere cum cliente de re in iudicium non deducta.
- 10 Advocatus potest emere à cliente, aut ab eo donationem omnium bonorum accipere, licet in illis aliqua sint litigiosa.
- 11 Qui contraxit cum persona prohibita, potest nihilominus ab eadem liberationem obtinere.
- 12 Scrupulus est nuda dubitatio, vel titubatio animi, sine ulla ratione, vel fundamento.
- 13 Verba illa, ut omnis scrupulus auferatur, quid importent.
- 14 Quid intersit inter veram suspensionem, & scrupulum.
- 15 Conscientia scrupulosa qua dicatur.
- 16 Confessio debet acceptari cum suis qualitatibus.
- 17 Liberationem eius qui administravit, concipi sub verbis donationis vel gratificationis, non est inconveniens.
- 18 Confessio ad hoc ut præjudices, debet concludere per necesse, non per possibile.
- 19 Confessio